QUAEDAM DE AGRICOLARUM MORBIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Giovanni medico Ronzani (medico)

QUAEDAM
DE
AGRICOLARUM MORBIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

AD

MEDICAM LAUREAM

IN CAES. REG. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE OBTINENDAM

A

RONZANI JOANNE

HABITA



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLVI

852

PROOEMIUM.

Poeta omnia exornans amoenam ruris morem dulcibus verbis pingit, et nunc in pingues campos, nunc in ridentia declivis aut in pictorios montes nos transfert, ubi natura variis formis induta superba ubicunque sese prodit. Poeta etiam beatam pastorum vitam, puras mitesque auras canit, quae in organis vitae vim ac salutem infundunt. Poeta labores agricolae celebrare non obliviscitur, illius agricolae, qui cupidines divitem excrucientes non agnoscit, qui in obscoenis voluptatibus expiendis tempus non terit, qui insanus illud non sequitur metallum, quod tot pro idolo habent, ita ut ad ejus eram tranquillitatem, vitam honoremque immolent; illius agricolae, qui ad litteras nunquam operam navavit, unde mens defatigatur, viresque corporis infirmantur, illius agricolae, qui parco victu nutritur a labore solum condito, nec ullius lacrymis madenti; illius agricolae, qui stimulos conscientiae nunquam pavet. Sed si natura tot bona ipsi tribuit, non tamen malis omnino exper-

tem voluit; nam in fatis est hominem vitam ducere dulcedine mellis nec non amaritudine fellis conspersam.

Morbi rusticos vexantes hujus dissertationis argumentum constituunt, et in eorum expositione summam doctrinam, ob parvas infirmasque meas cognitiones, non ostentabo, et solum illa principia sequar, quae a scientia hucusque didici.

Spem foveo lectores patienter mea verba tolerare; nam non jactantia, sed inveterata consuetudine coactus, ad hanc quamcumque elucubrationem deveni.

Affectiones, quibus agricolae laborant, vel a loco in quo morantur, vel ab operis nimis protractis, quas exercent, vel a vicissitudinibus atmosphaericis, vel ab aere noxiis elementis praegnante, vel tamen a pravis cibis ac potubus, quos sumunt, originem ducunt.

Domorum constructio et earundem positio ad hominis sanitatem admodum conferunt. Coloni ob indigentiam domus aptas, ut tristes emovenut effectus a climatibus locisque delatos, erigere nequeunt; ast eorum tuguria construere coguntur locis saluti non idoneis. Agricolae domus nimis arctatae ad exhalationes varias sive a rusticorum collectione, sive ab animalibus ad proprium nutrimentum, vel ad eorum operam inservientibus, objiciuntur, et benefico ventorum influxu aerae corruptae mutationi aptorum, et actione haud minus utili lucis solaris, quae humiditatem exsiccat, carent, et unus ex stimulis ad vitae conservationem necessariis constituit. Prout hae omnes conditiones ad summum evehuntur gradum, sive magna in copia congeruntur, ipsis multa diversi generis mala parant. Ob eam rem igitur coloni febribus rheumaticis, morbis contagiosis, variisque cachexiis devexantur.

Quamquam rusticorum labores admodum sint graves, tamen organismo conveniunt salutemque afferunt, et per ipsos omnes perfectiores fiunt functiones. Mala e laboribus nimis adauctis orta minus sunt frequentia illorum, quae a vita

inerti prodeunt, quapropter functiones propter exercitii defectum languent. Nihilominus coloni ob magnos labores ab ernis, a luxationibus, a fracturis, a vasorum rupturis corripi possunt.

Ob operum naturam ad atmosphaericas vicissitudines exponuntur, quae juxta aeris mutationes diversarum sunt specierum, et affectiones ab ipsis promanantes indole sunt varia, si aut a frigore, aut a calore, aut ab humiditate scatent.

Frigus primo concitat viresque adauget; sed si ejus actio certos praetergreditur limites, plus tandem caloris corpori viventi detrahitur, quam eodem tempore per vitam renitentem restitui potest, ut igitur, deficiente paullatim principio positivo, processus vitalis magis magisque langueat, et rigescentibus organis, vitae tandem flamma penitus extinguatur. Tristes effectus, quos frigus edit, per corporis humani partem, ejusdem injuriis maxime expositam, hinc et per vehiculum, ex quo agit, adcuratius definiuntur. Prae aliis organa respirationis et cutis externa et canalis alimentaris frigoris impetui patent.

Respirationis organis frigus externum per aerem spiratum adplicatur, qui frigidus non solum membranam horum organorum mucosam, sed et ipsum respirationis opus suo modo aggreditur. Membrana mucosa, quae vias respirationis obvestit, ab aere frigidiore effectum stimulantem experitur, secretio augetur, et levis inflammatio, seu catarrhus, excitatur. Ipsum respirationis opus per aerem frigidum, ceteroquin purum et siccum, potius impellitur, major oxygenii copia in pulmones fertur, et sanguis hoc elemento dives,

diathesis in inflammationem prona generatur, unde pneumonitides, bronchitides, pleuritides, quae in villicis frequentiores sunt, oriuntur.

Cutis externa frigoris effectum etiam percipit, perspirationem cutaneam omnino detinens vel supprimens. Functione cutis laesa, summa vi in organis propter dynamicum antagonismum augetur actio, et in hisce increscentibus secretionibus, vita sensifera ac irritabilis simul exaltatur; idcirco magna ad inflammationes catarrhales rheumaticasque proclivitas facile consequitur, qui morbi apud ruricolas familiares sunt, nam gravibus laboribus defatigantur, quos sub dio pedibus saepe nudis sustinent, quibus in operis cutis functio crescit, quae retentatur aut supprimitur quoties ad frigus sese exponunt.

Canalis alimentaris per frigoris actum non bonis effectibus subjicitur, et speciatim tum cum gelidus potus hauritur, corpore adhuc calido. Agricola quocumque tempestate in labore concalescit, aestatisque praecipue tempore, quo calor valde adaugetur, et ut hanc nimiam caloris quantitatem imminuat, ipse gelidas haurit potiones: est id suae saluti detrimento est, nam potus frigidiores per oesophagum ruentes vasa nervosque pulmonum graviter afficiunt, et haemoptoe, inflammationes nunc acutae nunc chronicae, suppuratio, phthisis aliaque mala non in respirantibus solum, sed et in aliis quibuscumque organis efficiuntur.

Calor ad vitam sustinendam summi est momenti, sed eumdem temperiei gradum non semper tenet, et imminui vel omnino supprimi vel

etiam adangi potest, et hocce in casu causa saluti hominis infensa fit morborumque fons. Agricola, qui ut campestres exerceat labores, aestivo tempore ad ardentem syrium exponitur, malos effectus ex eo diffluentes persentit, speciatim messis tempore. Apud rusticos ergo encephalitides tum eum solis radii caput percutiunt crebrae sunt et ophthalmitides, quae gignuntur cum oculi nimia luce affliguntur, seu eum, sublato pulvere, irritantur. Ob calorem ad febres gastricas, ad biliosas, ad vomitum, ad choleram, ad diarrhoeam, ad dysenteriam summa dispositio adest.

Plures medici, et inter eos *Frapolli*, *Albera* etc. autumabant, insolationem unicam esse causam, ex qua pellagra oriretur. Ast plurimi Medicinae scriptores posteriores, inter quos *Gherardini*, *Facheris*, *Strambio*, aliique fortibus argumentis demonstrarunt, insolationem nunquam hujusce morbi praecipuam esse causam, nam omnes campestribus laboribus dicati atque soli expositi illa affectione corriperentur, et tantummodo opinantur, insolationem causam esse ad vitium in cute, non vero ad universalem morbum progignendum.

Humiditas ruricolae infesta est et multos constituit morbos illum vexantes. Aerem humidum transpirationem cutaneam imminuere, in sanguine partem aquosam augere fibrasque relaxare crediderunt veteres. Sed hoc non sufficit: humidus aer ad hominem vivum relatus, minus electricus est, et huic bonum potius electrici conductorem praebet; hinc vitam duplici ratione

labefactat: per respirationem illud, quod ad debitum processus vitalis vigorem continuo requiritur, non suppeditando, et per cutem principii illius positivi, quod ex vita natum vitam iterum sustinet, subtrahendo. Inde non amplius obscurum erit, quare anni tempus et clima humidum hominum saluti adeo infensa sint, ut quae morborum omnium ex vitae languore et praevalente aeris in illam imperio profluentium, fontem uberrimum aperiant: unde melancholia, hypochondria aliaeque affectiones Sub caelo semper laborat ruricola, saepe domo sua admodum absens, et ad fortuitos imbres quandoque exponitur, ut nullo modo eos vitare possit, et quum humidas vestes diu servet, functio cutis plus minusve supprimitur, morbi rheumatici, arthritides aliaque hujusce generis mala scatent. Interdum ruricola longis defatigatus operibus diurno tempore locum quaerit, ut lassa reficiat membra, et hospitali umbra ab arbore largita profiuit, ubi sese prosternit obdormitque. Summi periculi hic usus est, et gravia incommoda, uti ischialgia, rheumatismi tam acuti quam chronici, variaeque tetani species exsurgunt, imo et graviorum morborum cutaneorum pulmonumque persaepe causa evadit, forsan et saepe mortis inopinatae, quum sub umbra arborum ser mephiticus facilius frequentiusque latitet, quod veneficae quarumdam arborum exhalationes sub umbris fiunt.

Una inter praecipuas causas, quae in agricolis morbos species diversae procedere quandoque possunt, aer est principiis noxiis praegnans.

Aer elementum est ad humanam salutem con-

servandam necessarium: ab ipsum omnes organismi functiones perficiuntur, et ejus necessitas ab eo elicitur, ut absque aere vita minime existere possit. Quum hic necessarius procul dubio sit, clare desumitur, quantum in vita ac in humana valetudine summa sit aeris potestas, nam illius corruptionem morbi haud raro subsequuntur. Quamquam opera sua aere aperto exercent agricolae, qui fere semper purus ac bonus est exhalationibusque cassus, attamen non raro contingit, ut ille in palustribus locis atque fimetis morari conatus sit, sive aer ob putridos vapores a nonnullarum plantarum maceratione, sive ab aliarum cultura partos corrumpatur.

Paludes depressa sunt loca aqua stagnanti repleta, in quibus innumera vegetabilia et animalia aquatica crescunt atque vivunt, quorum reliquiae in hisce aquis macerantur ac putrefiunt, et quodam tempore aliquam detegunt partem illarum superficierum, quas aliquando inundent. Haec vegetabilia tali pacto corrupta impuram insalubremque reddunt aquam, quae quum semper supersit stagnans, nec renovari possit, ubicumque infestas exhalationes spargit, quae in suis principiis aerem atmosphaericum immutant, et omnibus ipse expoliatur characteribus, qui aerem uti vitae alimentum constituere possunt.

Elapsis temporibus paludum effectus nocentes jam proditi fuere Hippocrates de his verba fecit, quum affectiones, quibus incolae Phasis corripiebantur, describeret. Ejus observationes ab omnibus auctoribus, uti *Avicenna*, *Lancisi*, *Nicolao*, *Massa*, *Alibert* aliisque, admissae sunt.

Homo, qui in propinquitate paludum interdum spiritum ducere debet, praeterquam totam vitam in infirmo statu ducit, certis temporibus a nonnullis diversi ponderis acutis affectionibus vexatur. Febres intermittentes hi morbi constituunt; ast ob individuorum corporis infirmitatem ad typum continuum saepissime transeunt. Tum has surgere faciunt, sive, si jam reperiuntur, nova inducunt mala, inter quae diarrhoeam atque dysenteriam, tristes effectus generantes. Si quoque febris characterem intermittantem servet, continuo ipsa physicae nocet constitutioni, et tali modo diversa mala parant, quae in dies facem vitae extinguere valent. Sub harum febrium accessu profundae viscerum abdominalium laesiones evolvuntur. Praeter hos morbos in istis regionibus rheumatismos chronicus, arthritis, scorbutus, hydrops aliaeque cachexiae dominantur.

Varia phaenomena nuper dicta, juxta climata, multas subeunt modificationes. In regionibus frigidis magnum influxum in incolas non exercent maremmae; in temperatis toto anno illarum vis persentitur, quae cum calore adaugetur, in aestivis vero ipsa viribus semper aequis perdurat. Ex hoc dicitur, paludes regionum algidarum absque incommodis habitari posse, periculum in temperatis locis crescere, tandem maritimas regiones in calidis terris omnino inhabitabiles esse.

Lancisi tres vias admittit, per quas particulae pervadunt infectae, absorptionem idest cutaneam, illam quae in interna intestinorum superficie fit, et absorptionem pulmonarem. Prior parvi est momenti, si epidermis suam integritatem retinet et

absorptio intestinalis locum non habet nisi cum alimentorum admissione, in quacomque alia occasione ad nihil reducitur. Non ita res exoritur relate ad absorptionem pulmonarem, quae continuo efficitur. Aliqua aurae atmosphaericae quantites in pulmones semper ingreditur, in contactu cum cellulis bronchialibus immediate ponitur, variabili vi eam prementes, et aeris portio enim miasmatibus simul, quae ipsa continere potest, in circulatione faciliter effluunt, uti tota die facta docent. Hic aer particulis infestis dives cum sanguine admiscetur, et humor sic commutatus per omnia fluit organa, illas affectiones generans, quas supra nos monuimus, et horum locorum propriae

Non parum quoque agricolarum sanitati officit eorundem incuria, dum ante bovilia et suilia ac proprias domus fimum pro agrorum stercoratione cumulant, ibique per totam aestatem pro deliciis asservant, quare fieri nequit, quin foedae exhalationes, quae jugiter attolluntur, aerem inquinent. Hanc ob causam *Hesiodus* agrorum stercorationem damnabat, salubritati magis quam foecunditati consultum volens. Alii ruricolae vero in bubilibus manent, et emanationes insalubres a fimo depositisque urinis effusas, proximius persentiunt, quae omnia diversas procreant affectiones.

Ramazzini in suo tractatu *de artificum morbis* phaenomenon rusticorum proprium enarrat: «Rem satis curiosam in rastratibus agricolis, ac in pueris praesertim, non semel observavi. Mense martio circa aequinoctium, pueri intra decennium circiter in magnam visus hebetudinem incidunt,

ac per totam diem parum ac fere nihil vident, sicque caecorum ad instar palantes et errabundi per campos discurrunt, ubi autem nox accesserit, satis commode vident; quae affectio sine ullo remedio sponte desinit: nam circa medium aprilis mensem acies oculorum pristina reintegratur. Saepius, ubi data est occasio, horum puerorum oculos observavi, et magnam in pupilla dilatationem deprehendi. Affectionem hanc medici *mydriasim* vocant, in cujus causa exponenda non satis conveniunt scriptores, ut apud *Sennertum*, *Riverium*, *Platerum* videre est.

Non multum a pupillae resolutione morbum hunc differre tradit *Gorraeus*: mihi itaque visum est, posse radios solares martii mensis colliquationem aliquam in cerebro ac nervis visoriis efficere, unde uveae tunicae tonus dissolvatur, ut in se ipsam concidat. Pueri isti in stabulis impense calidis ac humentibus per totam hyemem degunt; hyeme vero soluta, quod circa aequinoctium contingit, erumpunt e latibulis, et nuda capita radiis solaribus exponunt, ex quo facillime fit humorum diffusio, unde pupillae dilatatio ac proinde visus imbecillitas ob nimiam lucem admissam. Sub fine aprilis postmodum a solariam radiorum efficacia discussis, qui influxerant, humoribus, pupilla restricta ac naturali suae tensioni restituta, integra visio sine ullo remedio restituitur. » Clarissimus Pathologiae Professor hujusce mydriaseos sponte evanescentis et redeuntis causam potius in helminthiasi quaerendam esse cogitat, qua frequentissime agricolae nostri laborant, argumentis validis comprobavit.

Vestium ac alimentorum eadem fere est necessitas in agricolis, et multa illis suppeditavit natura, ut ab aeris injuriis corpora sua munirent, veluti cannabim, linum etc. Sed ut haec producta obtineat, rusticola ad macerationem istarum plantarum devenire debat. Cum per autumnum iis mos sit cannabim ac linum in aquis palustribus macerare, et hoc pensum foeminis praecipue incumbat, ut fasces cannabinas in lacubus et stagnis, in aqua ad zonam usque immersae extrahant atque abstergant, illarum non paucae post hujusmodi sordidum ministerium acute febricitant, et citissime moriuntur, quod non tantum ob cutis adstrictionem et prohibitum transpiratum, sed etiam ob spiritus animales a tam horrida mephiti, quae totam viciniam infestat, ad internecionem deletos, fieri credendum est.

A colonis quoque oryzae cultura adhibatur, quae artificialem exigit alluvionem. Aqua in arvis tempore plus minusve longo stagnante, herba, quae super illorum solo reperitur, maceratur, et pro fimo inservit, aestivisque diebus a substantiis corruptis vitiati sublevantur vapores, hominibus propinqui ruris molesti, et febres putridas, hydropes variasque cachexias promovent.

Summi pariter homini periculi cultura pratorum in quae artificiali modo aqua perducitur, ut bona habeatur messis, sic quoque damnum afferunt aquae fluminum ripas superantes arvaque undis obruentes.

Nec defuerunt medici aerem causam esse, quae pellagram progignere valet, dicentes; sicuti vero non defuerunt qui omnino illum rejice-

re, et alii pro causa secundaria eum habuerunt. Aer causa primaria minime esse potest, nam non solum agricolae, verum etiam cives hoc morbo corriperentur, quod nunquam visum fuit. Si autem causa prima judicandus non est, ut causa praedisponens certe admitti poterit, et ad alias causas faciliores minusque hypotheticas vertatur attentio. quas cibi ac potus constituunt, idest victus rusticanus a *Thouvenal* putatus solum sicuti causa excitans, et hinc ad pellagram gignendam aptus.

Colonus cibis animalibus vegetabilibusque vescitur; ast perraro edit carnes animalium, quae convenientes et saluberrimae humano sunt organismo, et si eveniat ut bis utatur, illas, quae eum decent, seligere nequit; sed ob inopiam suamque miseriam, vel solum operi ineptas et variis ruris usibus, vel quae a mensis lucullianis rejiciuntur, comedere cogitur. Has carnes et qualitate, et quia ab agricolis non bene concoctas atque digestae, sat bonum gratumque cibum nunquam offerre possunt.

Saepe rusticus pro esca piscium carnes adhibet, quos in sordidis foveis seu in turbidis stagnis reperit, et rarius piscibus sustinetur, qui in limpidis clarisque aquis fluentium fluminum sese agitant. Si vero de marinis loquamur, pravissimis atque insaluberrimis nutritur agricola. Piscium caro parcum alimentum praebet, etiamsi bona sit qualitate; sed si hoc charactere expers, satis bene ostendi non potest quanto organismo sit damno, et effectus ruricola persentit statim ac hoc insalubri alitur cibo, nam in ipso febres

gastricae typhoideeae et cachexiae variae erumpunt.

Non solum mala carnis piscium qualitas ad gignendos morbos contribuit, verum etiam coquendi ac eam condiendi ratio, et quum rusticus assueto mediis ad haec necessariis careat, ita ille praeter mala ex preve indole ipsius nascentia, etiam ille a coctione non adhibita prodeuntia et ab inepto condimento, persentit.

Squallida paupertas, quae in rusticis conspicitur toguriis, caseo duro siccoque et ad palatum acri atque mordaci multis annis effecto agricolam vesci cogit, et saepe etiam volatilibus quadrupedibusque ab aere seu e fumi vi aridis ac salis marini plenis se nutrit. Si hisce cibis caute eleretur, multis affectionibus non corriperetur, quae ab immodico harum substantiarum usu exsurgunt.

Cibi sale nimis conditi durique stomachum gravant atque vexant, chylum non bene perfectum aliosque etiam humores progignunt, in multis corporis viis decurrentes, et morbi scorbutici ingenerantur, qui nautas, populos prope mare vitam ducentes, ac homines pauperes mendicosque corripiunt.

Putrida caro homini gravis est periculi, et qui alimento atque potione corrupta utitur, in corpore suo putrescentia admittit principia. Damna et localia et generalia sunt: ad priora nausea, vomitus, diarrhoea etc.; ad secunda copiosiores excretiones, febres acutissimae phlogosesque plus minusve vehementes spectant.

Vegetabilia cibus plusquam animalis a ruricola adhibetur, et huic alimenti generi fruges, legu-

mina, herbae fructusque pertinent. Inter fruges primum tenet locum frumentum, quod in divitum culinis, et non in parcis rusticorum mensis perspicimus.

Colonus vero turcico frumento utitur, quod parvum nutrimentum praebet, nam, eo sumpto atque manducato, illico novis cibis indiget; porro, quum illum brevi tempore virtute gaudeat omnia saginandi animalia, quae eo nutriuntur, satis probatur, hoc non bene alere; sed id rustico non prodesset, quoniam illa ob diuturnum corporis exercitium, ob pervicaces labores sudoresque, quos effundit, certe plusquam civis bono ac valido nutrimento egeret, ut continuas atque copiosas virium defectiones reficeret.

Si polente, ruricolae cibum adsuetum constituens, sua natura parum est nutritiva, quam illi obnoxia erit placenta in furno sea in prunis concocta ruditerque confecta! Haec forma ac quantitas cibi summa difficultate etiam a fortioribus ventriculis digeritur, et ventris stypsis exoritur. Saepe vescitur, et magna voluptate, pulmentis rudi massa effectis, non bene fermentatis, male coctis ac adipe fructibusque plenis. Haec pulmenta multas aegrotationes in pueris praecipue ingenerat, qui pluribus diebus solum hisce crebro se alunt. Hinc ventris obstructiones nascuntur, admodum viscida ac densa fiunt fluida, et in corpore tumores rese malaeque naturae gignuntur, diversis languoris invaletudinibus corripitur, uti febri lenta, artbritide etc.

Panis secalis farina confectus ab agricola quandoque edhibetur, sed ventriculo debili an infirmo

non congruit, gravitudinem, nauseam, flatus parendo; quae non perpenduntur, si stomachus fortior est. Alias secalis morbo quodam laborat, ex quo hujus plantae semen subnigrum colorem exhibet, atque longitudinali sulco obsignatur. Odor non percipitur, si magna in quantitate non coacta sit, displicens evadit, sapor aliquantisper acer. In tempestatibus pluviis, in humidis sabulosisque terris haec alteratio observatur.

Clavus secalinus, cum seminibus, in quibus evolvitur, diversa in quantitate commixtus, multos ac varios parit effectus. Malum e clavo secalino inductum *morbus cerealis seu raphania* nuncupatur, qui in viris potius quam in mulieribus, in infantibus et in senibus animadvertitur.

De clavi secalini natura duas opiniones praecipuas auctores ostendunt; plures hanc alterationem uti morbum cerealium peculiarem perpendunt, qui semina aggreditur, et omnino naturam permutat. Nonnulli inter veteres hanc alterationem a parvis animalibus, quae inter semina saepe inveniuntur, afferri cogitarunt: haec opinio paucos enumerat fautores, etiamsi verum est quibusdam in casibus parva insecta in cerealibus cornutis reperiri; attamen minime dubium adest, saepe nullum eignum existere. Morbus, de quo loquimur, humido solo, atmosphaerae aliisque circumstantiis difficilioribus tribuitur.

Secunda opinio est ea, quam *De-Candolle* ostendit, perpendenda, favere huic vegetabili productioni causas omnes, quae humiditatem adaugent; nullo modo clavum secalinum ex arbitrio procreari posse, crebro secalis spicam irrorando;

clavum secalinum locale esse phaenomenon; non secale solum, sed omnia gramina indiscriminatim afficere; tandem statuit clavum secalinum morbosam esse degenerationem seminum ad cerealia pertinentium, et pro planta nascenti, vegetanti atque se reproducenti ad ceterorum fungorum similitudinem habendum esse.

Legomina, quorum saepe saepius rusticus vescitur, sat bonum offerunt nutrimentum, ast si abutantur, prave efficitur digestio, et flatus, stomachi gravitates oriuntur, quae mala in illis praesertim pauca vi digerenti praeditis, videntur. Faba vero hominibus exitialis est, quamquam plures, ut cibum illam commendaverint, considerantes, usum ipsius bestias saginare; hoc falso eam homini etiam utilem esse voluerunt. Hoc legumen si adhuc virescens ad bonam non confert digestionem, et flatus, viscerum obstructiones aliosque morbos parit.

Quandoque agricola, uti cibum, herbas fructusque adbibet. Herbae virescentes ac tenellae acida gaudent proprietate; hae non putrefiunt, sed fermentantur, et acidae fiunt. Homo ex herbis parum accipit nutrimenti et flatos primarum viarum, aciditates fluxusque alvini progignuntur. Magni sunt detrimenti aliae herbarum species, ut allium, aliam caepa, raphani, rapa etc. quo nolco fere condimento rustici uti solent. Istae faciliter ex semetipsis absque fermentationis auxilio tabescunt, et omnes foetentem odorem exhalant secretiones. Sub immodico harum usu corporis fibrae validius irritantur, et morbi plures uti dysuria, ischuria etc. nascuntur.

Multis fructibus ruricula vescitur, qui maturi

et parcitate comesi innocui sunt; ast id non contingit, si summa in copia assumuntur, et ab illis stomachi languore, flatu, alioque laborantibus, in istis vero hae violenter exasperantur affectiones, sive originantur in illis, qui prius carebant. Si autem fructus crudi sunt, eadem mala atque interdum funestiora habentur et vel maxima diarrhoeis et dysenteriis frequenter viam sternunt.

Fungi inter salubres cibos nunquam recensentur, quamvis nutrientes, et nimia copia glutiti, succos infestos ac impuros ingenerant, qui difficiliter digeruntur, et morbos biliosos saepe saepius pariunt.

Speciali opus est attentione circa illam fungorum speciem, qui boni adparent, sed contrario malae indolis intus sunt, et lethale venenum includunt. Has proprietates veneficas acquirere possunt, sive ob succi pravitatem, quo illi nutriuntur, sive ob fungorum corruptorum propinquitatem, sive virulenti a pravis effluviis laeduntur, sive ob succedaneam corruptionem, sive tandem ob eorum degenerationem postquam collecti fuerint. Hi varios effectus producunt fungi, juxta eorum naturam, et dolores colici, vomitus, diarrhoea, dysenteria, inflammationes, stupor, delirium, omniaque symptomata in venenis narcotico-acribus perspecta oriri possunt.

Potus hominibus necessarii sunt, sed nocent si nimis in quantitate assumantur, vel si in eorum natura alterentur. Rusticos saepe sitim depellit simplici potione, quae a natura, idest aqua, data est, et si limpida ac recenter hausta ipsi utilis evadit, quod non aspicitur, si res continet alienas, nam

aqua noxias proprietates contrahit ad affectiones diversas gignendas aptas. Coloni turbidas interdum potant aquas, quae in propinquis foveis reperiuntur, et quum summam calcis quantitatem contineat, viscera abdominalia perturbare et obstruere valent, mala etiam putrida inducentes. Crebro evenit, ut in ipsis ranae, bufones, hirundines, multaque insectorum nocentium copia moreuter, quae in organismo inducta, in eorum indole fluida mutant, et mechanicis corporis functionibus perturbationes promoveant.

Homo ad magnos labores addictus vina fermentata atque spirituosa summopere amat, quae larga manu potata gravia sunt damni, et individua ad morbos hypersthenicos, congestivos, inflammatorios etiam ad apoplexiam praedisponunt. Aliqua parcitate temulenta, et optima praedita qualitate fibras saepe debiles atque infirmas homini roborant. Agricolis vina acidula non conveniunt, nam fermentationis stadia numquam transirent, systema vasculare nervosumque ob acidi carbonici evolutionem irritant. Haec individua arthritide ac calculis urinosis convexantur. Vina corrupta ruricolis pariter infesta sunt.

Parcis epulis rusticis ac malis ciborum qualitatibus causam pellagrae proximam tribuere pathologi. Ii opinantur ventriculum intestinaque priora actionem persentire maleficam ab alimentorum inopia scatentem, et in languoris statum seu astheniam ob stimulorum deficientiam abire. Haec asthenia adaugens et ad summum gradum se extollens morbi fomitem constituit. Iste atonicus ventriculi intestinorumque status in alia vi-

acera transit postea, humores eodem tempore ex hisce secretos turbans, et valdopere ad exercitium primarum organismi functionum contribuunt. Mutata igitur chymificatione atque chylificatione ob asthenicum ventriculi intestinorumque statum, chylus non bene efficitur, et a chylo male confecto, anormales assimilatio ac nutritio evadunt, et habitus oritur cachecticus, qui characterem offert generalem classis, ad quam hic morbus spectat.

Pauca haecce de agricolarum morbis retuli, plure imoque permulta dicenda fuissent, si temporis brevitas et dissertationis ambitus concessissent, nec non juveniles conatus experientiae fulcro destituti. Tum exinde habitationibus quoque rusticorum, de vario climate, atque loco, conditione, influxu telluris, adhuc dicenda fuissent; nec non permulta mala quae ex ignorantia, atque omnis culturae intellectualis absentia scaturiunt, commemoranda fuissent. Verumtamen haec, prout magis exaratam priorum elaborationem postulant, ita illi reliquo tempore quo largius otium, majoris experientiae et progressus subsidium conatibus meis, ut ex votis est, opitulabitur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sensationes vitae organicae sub statu salutis ob habitudinis vim non percipiuntur.

II.

Systema Gall *aliquas continet veritates.*

III.

Ossificatio vasorum ab arthritide rheumatica saepe exoritur.

IV.

Rumor serrae et limae morbos potius in valvulis quam in corde indicat.

V.

Interna vasorum sanguiferorum membrana phlogosi non corripitur.

VI.

Lithiasis vasorum gangraenae causam interdum constituit.

VII.

Chlorosis nec a lenta arteritide nec a polyanaemia ac parietum vasorum debilitate alitur.

VIII.

Monstra a maternae imaginationis influxu quandoque pendent.

IX.

Oculus animae speculum.

X.

Meloncholia praecipua suicidii causa.